


T E R R I T O R I V M
O R I V E T A N V M,
Vernaculè
I L O R V I E T A N O.

Orivetum.



Ingitur ager Orivetus Senensi, Perusino, Umbriæ, Patrimonii S. Petri, & Ducatus Castri agris. Metropolis est ORIVETVM, Antonino Oropitum, Procopio Vrbiventum & Vrbs Veneta. Plinio Herbanum. Sita est in excelsi præruptique montis planicie, sine muris, quorum vicem rupes supplet. Sed situm ejus adcuratissime describit Procopius Gothicar. rer. lib. 11, his verbis : *Velisarius simul atque Vrbiventum pervenit ; universos loco oportuno castra ponere jussit : ipse vero omnem urbem circumiens, speculabatur, num aliqua ex parte impetum in eam facere posset. Ac nullâ quidem machinâ, nullâ vi expugnari posse videbatur, per insidias vero eâ se potiri posse, haud desperabat. quippe tumulus ex cava terra erigitur unicu- cus ; superiore sui parte planus, atque aequalis ; inferiore autem præruptus. circum eum rupes pari altitudine, non ita prope, sed ad lapidis fere jactum, urbem undique cingunt. Super hunc tumulum prisci mortales urbem edificarunt, nullis muris clausam, aliove opere munitam. si quidem locus ipse naturâ suâ inexpugnabilis videbatur esse. quippe unicus ad urbem à petris patet accessus. quo custodito, incola nullum aliunde hostium impetum metuebant. etenim eo loco, quo natura aditum ad urbem struxit, ut dictum est, annis semper magnus atque impervius spacium, quod medium est inter tumulum & predicta saxa, occupat. proinde etiam exiguum quandam fabri-*

cam in hoc aditu struxerunt prisci Romani. Cœlo frui- tur jucundissimo, prospectu ameno, aëre salu- bri ; nisi cum æstivis mensibus in vicino amne Palia (qui Pelia Catoni dicitur) cannabis mace- ratur, hinc enim infectus fœtore aër civibus permolestus est. Vrbs templum habet sumtuosissime exstructum, Porphyretico marmore in- crustatum, cuius frontem statuæ marmoreæ summorum artificiū opera elaboratae exornant. Inter eas est statua Dei fortantis ex costa Adæ Evam. Templi fenestræ sunt alabastræticæ, instar vitri pellucidæ. Sunt hic ædes splendidissimæ ab Urbano V, P. M. anno 1367 factæ. fons ibidem profundissimus à Clemente VII in rupe excisus, ad cuius introitum legitur : Quod natura munimento inviderat, industria adjectit. Profunditas ejus dicitur cc lli cubitorum.

Non procul hinc, meridiem versus, opidum episcopali dignitate est Bagnaræa vulgo dictum, Bagnaræa.

quod Paullo Diacono Balneum Regis vocatur. Porro ad occidentem Aquapendens est, oppi- dum oblongum & in monte positum, viâ, quæ Sena Romam dicit, inter lacum Vulsiniensem & amnum Prilem sive Paliam. Patria est Hieronymi Fabricii, celeberrimi apud Patavinos Anatomici, in cuius laudem extat distichon :

*Martia Fabricio jactat se nomine Roma,
Pendula Fabricios tu quoque gignis Aqua.*

Vulgo Aquapendente, Ptolemæo Αὐσιλα Acula : li- Aquapen- dens.
cet vocem hanc corruptam esse putet Cluve-
rius ex vera genuinaque Αὔσιλα, Aquila.

Italia.

K k k